
SEMPER

CLEMENS BANCOTIVS FIGHI NENSIS. AD MAGNIFICVM LAVRENTIVM MEDICEN

¶LAVRENS DElitium orbis/ & Leonis
Lydi nobilitas/ & omne robur/
Et fœlix Medicum decus parentum/
Fortuna/ ingenio/ fide refulgens/
Qui ſolus lepidos foues poetas:
En ſume armonicum tui Seueri
Munus/ corde hilari/ & manu benigna.
Non auro properat micante fulctum/
(Vt par eſt) animo tamen libenti/
Veris laudibus/ & tuis refertum.
Sume & nos etiam: tuiſq; ſemper
Defendat titulis benigna Laurus/
Solo præſidio tuo beatos.

SEVERVS MINERVIVS SPOLETANVS MAGNIFICO LAVRENTIO MEDICI SECVNDO .S. .D.

NEQVEVNTES Propiis telis signũ sagittarii ferire/depromptis exaliena pharetra sagittis id agere conantur. Sic ego/cui innumeras nominis tui laudes rudi atq; inani carmine nõ satis sunt adprosequẽdum uires: alienis mecum ad hoc pariter laboribus intendam: ut quasi par multis sit opus: quod meis lõge impar paruis uiribus uidetur. Feciq; in hoc/quemadmodum solent/qui parietem aliena fidelia dealbant. Milonisq; insania frui uolui: qui propriis nimium lacertis confidit. Potius quidẽ inter alios laudis tuae non inconcinnos sectatores futili loquacitate patiar detestari: q̃ excellẽtem in omni genere uirtutem tuam/& maioribus omnino cõparandam/solus frigide laudare uelim. Quod non aliter euenire posset ob ingenii mei imbecillitatem/ & candoris uerborum ieiunitatem. Quibus cognitis iamio mihi more tacẽdum persuasissem: ni segnis & oscitans stans timuissem increpari. Dignum &.n. uidetur/ut quae mihi ante laborem a te ocia conceduntur: non inculte penitus/nec sine aliquo alacri & laudabili exercitio transeam: ne dum remissioni & quieti corpus indulget: mens animusq; hebescat. atq; ut lõgo iteruallo armorum procellis fluctuãte

Italia ſtudia intermiſſa reuocem. Verum enim uero ſcio / quod quæ mea ſunt : tibi ridicula uidebuntur numeros enim mea uerba non tenent. ea/quæ de te recte ſentio : eloqui non ualeo. & aſſecutus ſum po/ tius/quæ mihi uis præſtat: q̃ quæ uoluntas ., Verum quod Aeſopus non poteſt: Euripylus poteſt. Forum enim partem aſſequentur alii: qui poemation hoc ti bi mecum exconſilii ſententia dicari uolunt : nanq; equos ſuos grauioribus ſtimulis excitant : nec deerit his artis/authoritatis / & uoluntatis ubertas. Quæ omnia approbabuntur: ſi recte canentiũ comes laus eſt. Ea ne ſpreueris ſaltem quæſo tranſeundo cum uacabit: inſpicere. Parua quidem erunt: ſed maiora alias dabuntur. E portu enim in tam uaſtum æquor egredientes/potius paulum remigare/q̃ ſtatim uela facere decreuimus. Vale.

SEVERVS MINERVIVS
AD LECTOREM

CVt fortuna ducis nõ maior/quæ ardet in armis:
 Quã quæ grandiſono uatis in ore ſonat.
Inclyta geſta uirum tenui ſic carmine fiunt
 Lector nota minus: ſic quoq; uatis opus.
Sed tam clara nitent per ſe modo nomina Lauri:
 Q̃d qua nos/qua ſe/uim tueantur/habent.

MADALIVS CORTON. AD SEVERVM MINERVIVM PRAETORIANORVM MILITVM PRAEFECTVM DE DONIS AB APOLLINE LAVRO CONCESSIS

Vis ubi nō potuit/nec uerba precantia/Daphnen
Flexere hæc Clarii dona Seuere dei.
Inuenit medicas ſoboles Latonia uires:
Hinc Medicis ueniunt nomina clara domus.
Sex habet errantum rutilos Sol aureus orbes.
Sex Medicum hinc rutilis aurea ſcuta Pilis.
Ad cytharam in medio muſarum cantat Apollo:
Hinc Medices præſtant carmine/uoce/manu.
Illuſtrat totum lampas Titania mundum:
Hinc Medicum toto fulget in orbe decus.
Qui redit in lucem/phœbo ſacer/unicus ales:
Geſtamen Lauri cernitur eſſe nouum.
Cynthius ingreditur quintili menſe Leonem:
Hinc Medices geminus Iulius: inde Leo.
Sub paſtorali Laurum Sol arſit amictu:
Paſtorem hinc Medices urbis & orbis habent.
Cætera mitto: ſat eſt Hyperionis orbe potiri
Daphnen: & hac illum: ſtentq/meentq; ſimul:
Cantent: prædicant: uateſq/duceſq; coronent.
O hac q̄ fœlix arbore tuſcus ager.

BARTHOL. REGVLEVS. DE MAG. LAV.

Spes erat in Lauro Lauri poſt funera ſemper:
Manſit ut in ſola uirgine certa fides.

Sed modo cum surgat Lauri de germine Laurus
Celsior: insurgit spes quoq; nostra uirens.
Si sperare datum tam longo tempore: tandem
Spes eat: & Lauri sit mihi certa fides.

SEVERVS MINERVIVS DE EODEM

Quisquis trans indos phoenicem uiuere credit:
Errat: in æthrusco permanet ille solo.
Perpetuatq; suam Lauri sub imagine uitam:
Phoenix est hodie Laurus: ut ales erat.
Quis neget hoc? similis tempus monstratur ī omne
Laurus: & est Laurus: Laurus ut ante fuit
Qui post exitium gaudet potuisse renasci:
Continuata pari nam uidet ora uice.
Vnicus est: nullumq; uiret moriturus in æuum:
Virtutis precium mors quia nulla rapit.
Moribus at renouat uitam: non igne: suumq;
Fortuna/ingenio/nomine reddit auum.

CLEMENS BANCOTIVS AD EVNDEM

Nomē Laure tuum/cognomen/& inclyta signa/
Temporibus nostris quantus es ipse: ferunt.
Laurus ut æterno uirides habet omine frondes:
Sic tu perpetuum munus honoris habes.
Vt nihil est medico mortali charius ægro:
Sic te nil patriæ charius esse potest.
Aetatesq; Pilæ signāt: quiq; aureus orbis
Aurea sub Lauro sæcla redisse notat.

Et Peleus rex ipse potens Chironida sumpsit :
Quam suus imbuerat artibus ante parens.
Virgo clam lecta est Lauro sata sanguine regum:
Moribus hæc / forma / præstat & ingenio.
Nobilitas Medicum / Lauri prudentia / uires/
Hos superant : merito sors erit una trium.

CAROLVS VIVIANVS

AD EVNDEM

Quis neget in uarias Acheloum uertere formas
Se potuisse ! potes tu quoqꝫ cuncta potens.
Fis cato / dum sacri conscendis rostra senatus:
Et cusa in ualido pectore uerba facis.
Dum capis arma ferox / uel equū calcaribus urges :
Aeaciden populus te canit esse tuus.
Singula ne memorem/ post tot noua corpora/foelix
Se quibus extollit patria: Phoebus ades.

LAVRENTIVS RIPOMARANCIVS

DE EODEM

Forte quiescebam extrema sub nocte:canentem
Dum Phoebum hæc labris sentio inesse meis.
Lætitiæ incumbat foelix oenotria pubes :
Et sua uota deis nunc opulenta ferat.
Venit ab æetherea Laurentius arce Secundus/
Vera quidem Medicum gloria / uerus honor.
Hoc duce iura dabit longo his quos nereus ambit

Anfractu(domini fic flatuere dei.
Huic feret arctos iners / gelidi feptemq; triones
Ampla tributa fuo regna fubacta duci.
Et tenebrae pariter / lucifq; aequator amoenae /
Oraq; folaris tosta calore rotae /
Et qui primus ouans radiantis lampada phoebi /
Quiq; fub occiduo mergier axe uidet.
Dixerat excuffo oftendens rata figna futuri:
Sub meo enim Lauri uertice ramus erat.

ANTONIVS NERLIVS

AD EVNDEM

Bis genitum thebae / Mauortē thracia / Phoebum
Delos / creta Iouem / Te tua Flora colit.

TANAIS NERLIVS

DE EODEM

Vt fapiens / fortis / pulcher fibi Dux foret: olim
Ad dominum populus fudit apella preces.
Cum foret aft uni nimis hoc: & tanta decerent
Dona deum: dominus tradidit illa tribus.
Hinc Salomon fapiens / inuicto hinc robore Sanfon /
Abfalon hinc forma fplendidiore fuit.
At Lauro / dum pofcit idem Florētia fupplex /
Iuppiter impendit / quod dedit ante tribus.

ANDREAS DAPSIVS PRO LAVRO

Fronde uetus posita/stratis cum stipite ramis
 Arebam/Clario Laurus amata deo.
Nunc iterum ualidis educta sub æthera truncis
 Quæ sim/quæ fuerim/si petis: umbra sui.
Sic spolium tremulæ phœnix exuta senectæ
 Maior odorati surgit ab igne rogi.

LVDOVICVS ALAMANNVS DE EOD.

Quæ Lauri probitas/quæ sit celeberrima uirtus
 Quæue magis uiridi firma colore fides:
Non solum cunctis/eademq; probantibus extat:
 Iudicio sedenim fit manifesta Iouis.
Qui cælum/& terram/fraternaq; tartara quercus
 Esse prius dederat sub ditione suæ.
Sed nota Lauri uirtute/excidere quercum/
 Et Laurum cælo tollere constituit.

SEVERVS MINERVIVS DE EODEM

Forte inter superos Martem prospexit Apollo
 Gestantem capiti Laurea serta suo.
Non tulit: unde tibi Mauors gestare coronam
 Hanc ait impensum? dona aliena rapis.
Laurus sacra mihi: Laurus mihi conuenit uni:
 Fraxinus est manibus/& capiti apta tuo.
Non potuit Mauors animi compescere fluctus:
 Dixit: erit Laurus ense tuenda mihi.
Vix quiuit dextra phœbus retinere sagittas:

Dicere sic gethicum uidit ubi ipse deum.
Iuppiter ast placido torquet quo sydera uultu
Nati iras insit ponite & arma mei.
Per me sit Laurus post hac communis utriq;
Non minus arma colit: q̃ colat ille lyram.

TANAIS NERLIVS DE EODEM

Alcides summis excessit uiribus omnes:
Hunc tamen inuictum uincere amor potuit.
Nullum numen adest fortuna maius in orbe:
Hanc tamen instabili mutat Apollo die.
Respondet cunctis audax dea uocibus Eccho:
Hæc tamen irato muta Tonante manet.
Sed Laurum nec uicit amor: nec tempora mutant:
Nec terrent summi tela trisulca Iouis.

ANTONIVS NERLIVS DE EODEM

Laurus ut Vrsina est merito de prole creatus:
De Medica est merito sic quoq; gente satus.
Altera cælesti nomen deducit ab Vrsa:
Altera phœbea nomen ab arte trahit.
Spes maris illa: salus terræ hæc: est Laurus utrunq;:
Lauro igitur tellus seruiat: atq; fretum.

DONATVS IANNOCTIVS DE EODEM

Dum populis tuscis spectacula læta pararet
Laurus apollinei spes modo magna chori.
Pierides gethicis illum uidere sub armis

Cornipedem miris exagitare modis.
Quē colere has artes quia martis amore putarunt:
Implerunt querulis aethera carminibus.
Solatum accurrit maestas Ioue nata sorores.
Nam nota huic tanti causa doloris erat.
Lachrymulas cohibete Deae: non haec mouet arma
Saeuus ait Mauors: casta Minerua mouet.
Conuenit aonium nectar bene pallados armis:
Ingenium quid/si stent procul arma: Valet?
Hunc igitur iuuenem diuae celebrate frequentes:
In quo pierio iunximus arma melo.

SEVERVS MINERVIVS DE EODEM

¶ Diuersas superum uires finxere poetae:
Implerunt geminos carminibusq; polos.
Sed quod de natis mentitur musa tonantis:
In Lauro praesens inuenit historia:
Laurum Maiestas/Robur/Sapientia/Virtus
Cogeret esse deum: si deus esset homo.

PETRVS FRANC. PORTINARIVS

AD EVNDEM

¶ Quam bene te Laurum magni dixere Parentes
Laurenti Medicis grande decus generis.
Fronde uiret Laurus: uiridi tu flore iuuentae.
Laurus olet: redolet nomen ubiq; tuum.
Fronde sacra uatum cinguntur tempora Lauri:
Vatibus ipse refers praemia digna sacris.

Illa duces bello insignes / lætosq; triumphos:
Ipse armis claros / nec minus arma colis.
Postibus Augustis Laurus / templisq; decora:
Ipse decus summi Pontificis solio.
Grata deis Laurus / cui non grauis ira tonantis:
Aspirant uotis numina cuncta tuis.
Iure igitur diuum celebrat Florentia Laurum /
Quæ Lauro semper sospite tuta fuit.

TANAIS NERLIVS AD EVNDEM

¶ Quam bene phœbea deducis ab arbore nomen
Laure decus / patriæ duxq; / paterq; tuæ.
Non æstus / uiridem non lædunt frigora Laurum:
Tu sortem immoto pectore utranq; regis.
Dextra Iouis Lauro non officit: ira tonantis
Nec tibi: iustitiam / fasq; / piumq; colis.
Illa duci / Vatiq; decus: decus ipse canenti
Tu tibi: uictori tu tibi Laure decus.

CHRISTOPHORVS SERNISIVS

AD MAG. LAV. MED.

¶ Tot tibi tot uates Laure excerpsere coronas:
Vt mihi restiteris iam modo truncus olens.
Quem si certatim musarum uestibus ornant:
Forsan odorantis præmia truncus erit.

ALEXIVS LAPACCINVS AD EVNDEM

¶ Audierat toto celebrari Iuppiter orbe
Laurenti Clario nomina grata deo!
Et mores laudare omnes, nulliq; secundas
Ingenii dotes, eloquiumq; graue,
Inq; bonas artes studium, iuuenileq; robur,
Inuictumq; animum, munificasq; manus,
Audierat: Phoeboq; tua haec te clarior, inquit,
Laurus erit: parcat huic modo parca diu.
Cui Deus in Laurum ne truci ius esse sorori,
Quam tua non audent tangere tela, putas!

TANAIS NERLIVS AD EVNDEM

DE VRSO INTER LEONES

¶ Vrsum inter sæuos illæsum habitare Leones.
Plebs admiratur Laure, coliq; tuum.
Non timor in causa est: nec nobilis ira Leonum:
Qd soli in cauea parcat obesse sua.
Sed tuus est Vrsus: quid te pia corda uirorum:
Vrsum te propter si fera bruta colunt!

SEVERI MINERVII ODE DICOLOS

DISTROPHOS AD EVNDEM

¶ Septem sunt superum deum,
Quæ cælo rutilant fulgida lumina:
Et sex sunt Medicæ Pilæ,
Princeps signa tibi, quas puto sydera:
Harum numine septimo

Effulges numero: quasq; cupis/ulces
Diuum reddere sic potes:
Vt par syderibus omnibus emices.
Nam dum consilium graue
Ostendis: puto te cælígenam senem.
Sic dum sceptra tenes: Iouem
Reddis: belligerum uiribus & deum.
Credet Cynthia Apollinem:
Oris si uideat grande decus tui.
Solus mille modis refers
Dum rides/ Veneres atq; Cupidines.
Atlas dum loqueris/ suæ
Te maiæ poterit credere liberum.
Venatrix nemorum Dea
Castis teq; suis ornat honoribus.
Sis quodcunq; tamen uelis/
Numen: terra tibi seruiet/ & polus.

ANTONIVS NERLIVS AD EVNDEM

¶ Quam bene solaris nomen tibi præstitit arbos:
Pro signoq; geris q̄ bene solis auem.
Se renouat phœnix: renouas te Laure: uirebit
Laus tua sic semper: Laurus ut usq; uiret.
Vtraq; te digna est: sacra Soli est utraq;: cæli
Sol decus est: nostri tu decus orbis ades.

Bartholomeus Reguleus de Lauro

¶ Aemula si uirtus mortales reddere diuos
Sola potest: Lauro quid modo iuncta suo?
Vera loquor superi/ si fas est uincere diuos:
Mortales uideo uincere posse deos.

GASPAR FIGHINENSIS DE EODEM

❡ Vnica fertur auis proprio de funere rursus
Viuere: ubi liquit putrida membra uetus.
Exuuiis serpens positis / ceruusq; relictis
Cornibus / a senio liber uterq; uiget.
Hæc itidem Laurus / quam cernimus ultro uetustis
Ramis abiectis / pullulat hic iterum.
Florida nanq; uiret / iuuenescens corticem auitum
Deposuit / secum suauia cuncta ferens.
Quam uelut ira Iouis nunq̃ tetigisse putatur:
Infestæ Antiadis nec tetigisse queat.

FRANCISCVS ZEFFIVS AD MADALIVM DE EODEM

❡ Ludant Pierides Lauro / quas nouit: Athenas
Ipse agerem glaucas Mæuius alter aues.
Si uastum patet æquor: Apollinis utere uelis:
Qui possis: nostræ nulla saburra rati est.
At mihi sint uires: non ludam: protinus essem
In re non dubia testis inutilior:
Quicquid ubiq; est terris / oceanoq; locorum /
Quæ Medicum fuerit gloria / fama / uidet.
Defuit his cælum / & cælum nunc additur illis:
Quid superest? uiuat: uiuet & omne decus.

CAROLVS VIVIANVS COLLENSIS AD SEV. MINER. DE EODEM

Quam sapiat Laurus / patriæq; citetur amore /
Quam uirtutis amans / gratus & ipse deis:
Hoc docet: afficerat dum / qui sit factus ad urgem /
Præsidium patriæ / militiæq; Ducem:
Conueniunt Astræa / Fides / Mars / Pallas / Apollo:
Teq; illi donis fulcte Seuere dicant.
Iura / fides / ensis / sapientia / musa decorat
Te; sibi uult similes Laurus adesse uiros.

AVGVSTINVS FAVENTINVS
OR. SER. DE EODEM

Horruit augustam Laurum domus alta Latini:
Nomina Laurentes unde tulere uiri.
Sublimes fausta decorant se fronde triumphi:
Fatidici hinc uates tempora cincta gerunt.
Est Clario dilecta deo / dilecta Tonanti:
Tristis hiems sacris parcit obesse comis.
Seraq; perpetuos indulgent sæcla nitores:
Mixtaq; odore fouet dulcis amarities.
Sed noua muneribus præfert se gratia tantis /
Et cumulat cumulis dona superba suis /
Diuus ab æthereo ueniens Laurentius axe /
Dulcis amor terris / gloria syde I us /
Cognitus hesperiis: atq; oræ auditus eoæ /
Miris honos cuius tangit utrunq; polum.
Mortales superos meritis qui solus honestis
Alligat / obstringit / uincit / habet / retinet.
Nam quis magnum cælo terræq; teneri.
Multo homines maius uel meruisse deos.

MADALIVS AD EVNDEM

Stans adeo uultu praefers Laure benignum:
 Re nihil ut toto mite sit orbe magis.
Incedens adeo uestigia suauia ponis:
 Re nihil ut toto suaue sit orbe magis.
Laure loquens adeo dulces das ore loquelas:
 Re nihil ut toto dulce sit orbe magis.
Proditor est animi uultus: cor reddit apertum
 Incessus: uoces interiora notant.

BART. REGVLEVS DE EODEM

Nascitur aethruscis Lauri de funere Laurus:
 Et renouat ramos celsior ipse suos.
Hos tibi si renouat Laurus Florentia: Laurum.
 Phoenicem merito dixeris esse tuam.

SEVERVS MINERVIVS DE EODEM

Caesareis positam manibus si baetica longis
 Seruauit Platanum Corduba temporibus.
Perpetuas Lauri speret Florentia frondes:
 Mortales illum non posuere manus.

CLEMENS BANCOTIVS DE EODEM

Errauit/quicunque sacro Florentia Lauro
 Te patriam dixit: sis licet orbis honor.
Caelum illi est patria: at terris pietate deorum
 Concessus uitae norma/decusque uiris.

Nota loquor: dedit huic Mars uires/nomē Apollo/
Virtutes Pallas/Iuppiter imperium.

ANDREAS DAPSIVS DE EODEM

Nauta procelloso quisquis iactare profundo/
Et tremis irati tela trisulca Iouis:
Concipe lustralis uotiua piamina Lauri:
Nescit apollineas fulmen adire comas.

BASILIVS LANCIL.OR.SER.AD EVND.

Syderei plures pertingere culmina cæli
Laure tuas laudes/claraq; gesta canunt.
Fæcundis alii scripserunt carmina fibris:
Et Mæcenati te posuere parem.
Affectu multi te tanto arsere clientes:
Te uelit ut uotis quisq; uocare suis.
Ast ego/diuinas rudibus qui promere rhithmis
Ingenii dotes expeto Laure tui:
Nil referam: de te mea plurima dicere uellet
Musa; tamen de te diceret ipsa parum.

SEVERVS MINERVIVS DE EODEM

Dicenti Laurum subito mihi rettulit aurum
Eccho: & habent uoces omina sæpe suæ.
Aurum fortunæ decus est: hæc uim dedit auro:
Aurum hominum uires/regna deumq; mouet.
Ex his certa fides si nobis danda loquelis:
Laurus fortunæ munera cuncta reget.

Madalius ad Eundem

¶ Primus ut æthereos Laurus migrauit in orbes:
Pax / Astræa / Salus / Musæ abiere polum.
Italiam hinc ferro / ac flammis uastauit erinnys:
Vt Mars / furta / neces / barbariesq; tulit.
Nunc digitum propior nobis extollit olympus:
Hæc ut aui currant sæcla secunda tui.
Pacificus / Iustus / nostroq; Salutifer orbi /
Et musis fultus Laure secunde redis.

BART. REGVLEVS AD EVNDEM

¶ Inter mille uiros titulis & nomine claros /
Prospexi uultus non nisi Laure tuos.
Fulgebant adeo rutilantia lumina: q tu
Texisti socios phœbus ut astra / tuos.
Ingenio polles: tu pectore fortis / & armis:
Et bene cælesti numine cuncta regis.
Qd si nunc Medices uideat tua singula Pastor:
Imperio uellet sceptra tenere tuo.

SEVERVS MINERVIVS AD EVNDEM DE TITVLO SEMPER

¶ Sola deum semper mansura est æqua potestas:
Sola hominum uirtus uiuida semper erit.
Te nascente sacris titulis / hinc omine fausto
Ille tuus SEMPER scribere cœpit auus.
Nanq; Deus genere e Medico tu Laure futurus:
Virtutisq; tuæ gloria semper erit.

CLEMENS BANCDTIVS DE EODEM

❡ Dum cuperet diuum natura immittere terris
Imperio / fama / moribus / ore uirum:
Aethereas adiit sedes: superosq; precata est:
Imperet ut forti nobile semper opus.
Protulit hinc Laurum insignem: qui saecla reportat
Aurea/iustitiam/salq;/piumq; simul.

TANAIS NERLIVS AD EVNDEM

❡ Vt renouat serpens: ut se nouat unicus ales:
Per te Laure tuus sic renouatur auus.
Qualis ab occiduis remeans sol aureus undis
Syderum scandit pulchrior usq; polum.
Talis Laure redis: nec dispar rebus auitis:
Quice q̄ foelix alter ab alterius.

ANTONIVS NERLIVS AD EVNDEM

❡ Amphitryoniades domuit si monstra per orbem
Plurima: caelesti numine uictor erat.
Pelleus persas si debellauit / & indos
Tempore sub paruo: sydere uictor erat.
Deuicto insignes duxit si exorbe triumphos
Caesar: Romano milite uictor erat.
Vincere se tamē hii haud potuere: at laure triūphās
Debellas te ipsum ui propria: atq; domas.
Amphitryoniade/& Pelleo / & Caesare maior
Diceris: & merito: quae facis: ipse facis.

Franciscus Zeffius ad Eundem

¶ Cum peteret spartas olim, Venus aurea: mondū
Deposuit: uitreum nec tulit hæc speculum.
Sic rotulam / celeremq; pilam Rhamnusia liquit:
Cum uoluit gremio ponere uela tuo.
Vt cum fortunam residentem pinxit Apelles:
Dicatur fortes Laure dedisse tuas.

CAROLVS VIVIANVS AD EVNDEM

¶ Sculpsit pyrgoteles Pelleum: pinxit Apelles:
Ecquis erit Princeps: ille / uel ille tibi.

IDEM AD EVNDEM

¶ Cum phryga Virgilius / peliden dicat Homerus:
Ecquis te dignum dicet utroq; magis?

VGOLINI VER. AD EVNDEM PATRIAE

NOMINE GRATVLANTIS CARMEN

¶ Laurenti Medices magni Laurentis imago /
Vera salus urbis / lydi spes certa Laonis /
Suscipe collatas patriæ florentis habenas.
Magnifice in portum tyrrhenam dirige nauim:
Ne rapidæ posthac trudant in saxa procellæ.
Vt Medices rediere pii: Florentia per te
Sperat honoratam / & securam ducere pacem.
Oppida quæ cepit / formidine reddidit hostis.
Pestiferum unanimes ciues posuere furorem.
Arbiter / & iudex nascentes comprime lites.

Ius cuicunq; suum Medicum sapientia curet /
Vt detur : iustis merito tribuantur honores :
Alleuietur onus pressis pro uiribus æquum :
Nec sua prudentes / & doctos præmia fallant.
Officium est Medicum subiectis parcere : nulli
Sint impune mali : procul extirpare superbos.
Relligio / & probitas subte rectore gubernet.
Sic tibi nullorum insidiæ / nulla arma nocebunt.
Cur exempla petam ? tua proles testis abunde est.
Magnanimus Cosmus (quo non sapientior alter)
Plurima templa deo toto construxit in orbe.
Syllanidum primus Medicum moderatus habenas:
Insignes quamuis alii de stirpe fuerunt :
Ipsa tamen Cosmi excessit sapientia cunctos.
Reges / atq; duces flexit quocunq; uolebat.
Frenauit Venetos sollers industria Cosmi:
Ne foret ipsorum suspecta potentia tuscis.
Bissenis lustris rexit fœliciter urbem
Progenies Medicum : paucorum expulsa furore /
In patriam rediit longe præstantior / annos
Post sedecim / populo læto / & plaudente per urbem.
Venisti tandem soboles dilecta : nec ullum
Infestum quamuis / ciuem iusta ira necauit.
Nec solum infensis inimicis illa pepercit:
Maiores sed enim solito congessit honores.
Extorres q; omnes propter delicta recepit :
Est data per Medices plena indulgentia cunctis.
Et non immerito diuina est sorte sacerdos
Electus summus decus immortale Ioannes.
Vt nihil ad culmen patriæ restaret honoris.
Speratur secura quies sub præsule tanto :

Cum Patruoq; tuo sub te rectore quiescet,
Exaltata diu cernet Florentia pacem.
Eia age conciues tuere: & moribus omnes.
Hoc te Laurenti patriæ pars optima poscit.

Eiusdem Ode dicolos tetrastrophos
ad Musam

❡I / pete audacter Medicum penates
Clio: quid cessas? domus ista musis
Hospita: hæc doctis patet: & poetis
Semper aperta est.
Meq; suscepit teneris sub annis
Patriæ Cosmus pater: & Nepotes
Inclyti uatem immeritum Verinum
Semper amarunt.
Vade / nunc Laurens regimen gubernat;
Cuius antistes patruus Ioannes
Est Leo summus decimus Sacerdos /
Gloria saecli.
Iulios cum quo geminos patronos /
Nunc habet foelix patria / & camœnæ.
Respuit nullum generosa proles
Iusta petentem.
Omnibus grata est / pia / larga / clemens;
Est bonis fautrix / studiosa doctis:
Iure nimirum Medices amarunt
Plebsq; / Patresq;.

CLEMENS BANCOTIVS AD EVNDEM

❡Præmia si superi rebus tibi digna referrent;
Restarent Laurens præmia nulla Ioui.

MADALIVS AD EVNDEM

❡ Cōueniūt fateor Phoenix / Pila/Laurus inomine
Tempus ut auro Spe / Fide/ Amore tibi.
Vnicus ardet enim Phoenix / ut aiunt in aeuum:
Finis nulla Pilae est: Laurus & usq; uiret.
In cunctos tuus ardet amor: fidusq; probaris:
Spemq; serenato semper in ore foues.
Sed mage conuenient / cum uiceris unicus orbem:
Et fueris capiti Laurea tu ipse tuo.
Quamprimū hoc igitur/superi quem iure secundāt:
Vt mihi sis primus: Laure secunde sinas.

SEVERVS MINERVIVS AD EVNDEM

❡ Authores pacis ramis ornantur oliuae:
Haec inter superos praemia Pallas habet.
His data / qui patriam seruant / est querna corona:
Et summo summa est quercus amata Ioui.
Populeas qui monstra domat fert horrida frondes:
Herculeum munus populus esse solet.
Laurum uictores / Laurum meruere poetae:
Est Laurus martis / pieridumq; decus.
Sed tu Laure meres solus / quod plura deorum
Numina; si meritis praemia danda tuis.
Tu musas / tu bella colis / quia pacis amator:
Tu patriae pater es; tu fera monstra domas.

BART. REGVLEVS AD EVNDEM.

¶ Fortunae/atq; animi/ Medices sūt corporis āpla
Dona deum: magnus tot bona Laurus habes.
Non tamen haec seruant magnorum gesta uiroꝝ:
Gloria nec longo tempore firma manet.
Musa q; es uatum Medices Laurentius alter:
Perpetuo clarum nomen in orbe dabit.

CLEMENS BANCOTIVS DE EODEM

¶ Quo caruit Laurus/caruit natura decore:
At plus Laurus habet: hinc minus illa potest.

TANAIS NERLIVS AD EVNDEM

¶ Inter se placido concordia sydera uultu
Natali afflarunt Laure benigna tuo.
Cui gratum Venus alma decus/Cyllenius artes
Ingenuas/mores casta Diana probos/
Mars animum/& ualidas robusto in corpore uires/
Fasq; piumq; Tonans/consiliumq; Senex/
Sol sceptrꝝ/& nomē dedit immortale: quid ultra!
Vt redeant meritis aurea saecla tuis.
Nec mirum: unanimi per te concordia caelo
Si fuit: ut per te regnet in orbe quies.

ANTONIVS NERLIVS AD EVNDEM

¶ Ignea curarum uario mihi fluctuat aestu
Mens: uelut aduersis flatibus acta ratis.
Vrget amor/prohibetq; timor/te carmine tollam
Laure: licet raro/uincet at ipse timor.

Aeneas meruit resonantia plectra Maronis:
Meoniaeq Ithacus fila sonora lyrae.
Tu quid Laure meres: quo nec patientior alter:
Nec pietate unquam maior in orbe fuit!
Est opus aethereis fauor instilletur ab oris:
Nam cum natura est nil tibi: facta probant.

FRANCISCVS ZEFFIVS AD IVNONEM

ET PALLADA DE EODEM.

❡ Vestra iterum Lauro si stet sub iudice forma:
(Tyndarida aspexit iudicium Paridis)
Huius erit rectum examen: non altera uestrum
Decipiet Venerem: nec Venus una duas.
Sortem habet hic dextra: uirtus est subdita leuae:
In sinu erit coniux pulchra / & honesta magis.

CAROLVS VIVIANVS DE EODEM

❡ Festa dies oritur: superis exordine sacram
Rem facio: nullum sed mihi numen adest.
Sanguis in attonito dum friget: ab aethere nimbus
Labitur: & clausus qui ueniebat / ait.
Sum Clarius: depone metum: rem disce salubrem:
A superis hominum cura repulsa fuit.
Hanc Medicum genti summus mandauit olympus:
Sacra Leo / Laurus caetera cuncta regat.
Priscus ab igniferis rediit Laurentius astris:
Vt capiat requiem terra fretrumq parem.
Madalius ad Eundem

Argolicis Elyce / tyriis Cynosura / sed astrum
Laure tuum cunctis imperat æquoribus.

SEVERVS MINERVIVS FLORENTIAM ALLOQITVR

Vrbs / quæ nubiferas inspectas desuper alpes:
Quæ regis æthrusci sceptra superba soli.
Nomine quæ fueras certo apte Fluentia dicta:
Iuxta Arni posita es nanq; fluentis aquas.
Tu modo nomẽ habes: quo uernat pulchrior ãnus:
Natum cum uiolis / purpureisq; rosis.
Diceris a cunctis Florentia: nomine flores:
Sunt quoniam flores tu modo quicquid habes.
Euenit hoc Lauri sub tegmine: facta beata
Cuius fœlici es nominis auspicio.
Dumq; uiret Laurus; florens Florentia fama es /
Ingeniis / opibus / pace / p̃isq; uiris.

ANTONIVS NERLIVS AD MAG. LAVREN. MEDICEN

Laurum Laure colunt / extollit / protegit / ardet /
Pierides / Mauors / Iuppiter / & Clarius.
Ex Lauro Aonides illi statuere coronam:
Qui tua gesta / ut sunt carmine digna / canat.
Inseruit Mauors de te tibi Laure coronam:
Et merito / tusco Mars es in orbe nouus.
Vt seruat Laurum Altitonans a fulmine; sic te

.E.

Seruat ab his / qui animo / uoceq́ / req́ nocent.
Nomen in æternum phœbo præstante uirebit
Laure tuum: phœbo Laurus ut usq́ uiret.
Fœlix tot sacro natus sub numine diuum:
Nos magis at sub te / numinibusq́ tuis.

SEVERI MINERVII ODE DICOLOS TETRASTOPHOS IN QVA PHOEBVS LAVRVM ALLOQVITVR

O meos nunq̃ miserata questus/
Fronde quæ Daphnes rutilos capillos
Condis / & frontis nitidæ decorem
Cortice Laurus.
Vnde tu sacro capiti dicata es:
Tu ducum / & uatum decus es triumphis;
Martis / & musæ merito & labori
Præmia reddis.
Tu paras per me uirides coronas:
Tu decus sola es nemorum / & locorum;
Te Iouis summi manus a trisulco
Fulmine seruat.
Ista mutata tibi sed figura
Ante / dum syluis fueram / dabantur;
Nunc tibi e cælo meliora per me
Munera dantur.
Dextera ut uires medicas habebam:
Sic tuam prolem Medicam uocaui:
Quæ feret regnis Italis salutem/ Præsidiumq́

Vt meis fulget radiis olympus:
Sic tuæ lucet decus orbe famæ.
Sex Pilæ tecum rutilant: ut orbes
Sex modo mecum.
Vt mihi fului solium Leonis
Lucidum sydus solet esse cælo:
Sic tibi terris Leo sydus extat
Numine sacro.
Ales in lucem meus est / per ignes
Qui redit ramos cumulas sabæos:
Hic tua nec non sacer in decora
Cernitur æde.
Munerum dum te cumulo / atq; honorum
Viribus cunctis sequor: unde sumam
Iam nouas partes? mea cuncta tecum
Esse uidentur.
Illud es / quod sum: paribusq; flammis
Iam micas: cælo sata uiue: uiuat
Vt decus diuum simul omne / uirtus/
Spesq; uirorum.

ALEXANDRI ROSSELLI

HYMNVS

¶ O piæ mentes hominum & deorum/
Chloris ex iussu radiantis almi
Solis / indico sacra / pullulante
Daphnide trunco;
Quem medusei tenet unda fontis:
Quiue iam nectar sitit hippocrenes:

Quem triumphales decorant coronæ:
Hac eat omnis.
Huc eat quisquis pauidus tonantis/
Et timens fulmen Iouis: hac sub umbra
Non cadit summi grauis ira cæli
Supplice phœbo.
Cum pater poscit / pater alme Laurus
Tuta florescat: uireatq́ semper:
Nec sit immitis tua dextra Lauro
Diuiparenti.
Te rogat cadmi soror: & gemellis
Quæ fuit mater: genitor precanti
Filio cessit: uoluitq́ phœbo
Viuere Laurum.
Fronde uernanti redimite tempus
Cælites: fratri pharetrata uirgo
Euoca cunctas dryadum sorores
Ad sacra Lauri /
Ecce musarum chorus / inde Phœbus
Frondibus daphnes cumulatus / euge
Ipsa cantabor pia Flora: Laurus
Viuit in æternum.

ANTONIVS NERLIVS AD

MAG. LAVREN. MED.

Hæc tibi se dedit urbis: ceu uicta furentibus austris /
Et rectore carens / in mare fracta ratis /
Se dans prudenti nautæ / expertoq́ regendam /
Vt scopulo / ut syrti / ut tuta sit illa noto.

Te duce de scopulo / de syrti / deq; procella
Eruitur: placido perfruiturq; mari.
Vnde tibi ac merito cognomina plurima soli
Lydius æthrusca præstat in urbe leo.
Miles magnanimũ / æquũ plebs / pceresq; benignũ
Pacificum populus te uocat: & fruitur.

SEVERVS MINERVIVS DE EODEM

Sors paucis / paucis uirtus datur: utraq; Lauro est:
Laurus habet / nullis quod simul ante datum.

BART. REGVLEVS AD EVNDEM

Immunis fueram Laurentis munere primi:
Ius mihi natorum quod dedit ille trium
Quod placuit primo: placeat tibi Laure Secundo:
Hoc mihi si dederis: tu mihi primus eris.

TANAIS NERLIVS

AD EVNDEM

Expectata diu præstans spectacula / arenam
Dum Leo per totam Laure superbus agit.
Arex / testudo / canes / taurus sibi spretus / & ursus
Solus in armatos impetus ire fuit.
Te tamen inspecto totam compescuit iram:
Qui sis Laure / trucis nos monet ira feræ.

ANTONIVS NERLIVS AD EVNDEM

Cur deus Aeneas! Ithacus! Thyrintius heros!
Hic fortis / patiens illeq; / & ille pius.
Fortior at quis te! quis te patientior alter!
Te pius in toto quis fuit orbe magis!
Laure igitur tribus his tu solus maior haberis:
Tu trinum trino numine numen habes.

SEVERUS MINERVIUS AD EUNDEM

Dum satus Anchisa petiit stagna alta profundae
Noctis / pallentes atq; domos herebi:
Ilicis auricomae ramum de stipite sumpsit:
In lucem posset quo reuocare gradus.
Cum tamen hoc illi uates Amphrisia iussit:
Non norat ramos illa / uel ille tuos.
Quisq; redire potest uacui de limine auerni
Non solum his / clari at tecta subire poli.

CAROLUS VIVIANUS DE EODEM

Dū cano Magnificū: Laurum uir percipit omnis:
Quis maiora facit! quis meliora facit!

FRANCISCUS ZEFFIUS
AD EUNDEM

Pierides phoebum de coniuge plura rogantes
Laure tua: sortes has didicere tori.
Nobilis Icarius Polycastam duxit honestam!
Prudenti Anchisae pulchra Venus subiit.

Madalius ad Seuerum Mineruulum

Qui geminā sequeris cognomine, reqꝫ mineruā
Quem Lauro gratum Mars, & Apollo dedit;
Re facilis, duro nomen cum Marte parumper
Deponens, numeris æde Seuere precor.
Pastorem cur Laurus adit: si fugerat olim?
Quem timuit: phoebi cur petit illa domum?

SEVERI MINER. AD MAG. LAV. MED. AD LEONEM PON. MAX. ACCEDENTEM CARMEN ELEGVM

Ibis ad ora sacri comitatus Laure Leonis
Ominibus faustis, numinibusqꝫ deum.
Ibis, & insignes repetens uirtute parentes,
Ostendes, quantus sit tibi in ore decor.
Carminibus te nos, animisqꝫ sequemur euntem:
Spesqꝫ fidesqꝫ tuum nostra sequetur opus.
Te fortuna comes dextro pede læta sequetur:
Ipsa dabit uires: ipsa docebit iter.
Hac duce possedit nephilei uellera phrixi
Aesonides: domuit monstra, fretumqꝫ tumens.
Hac duce pelleus iuuenis per bactra, per indos,
Per scythiam, & phasim signa, uirosqꝫ tulit.
Hac duce romano Cæsar tot barbara tela,
Tot regna, & populos subdidit imperio.
Hac duce carpathia pauper mercator in unda
Fit diues: pelagi non timet ipsa minas:
Hac duce purpureos humili de gente tyrannos

Cernimus: hæc homines sola: deosq; regit.
Hæc tibi diuitias/hæc regna/hæc sceptra parauit:
Hæc quo te ducet: dirige Laure pedem.
Tu latias tendes ueneris ceu natus/ad oras
Hac duce/cum fatis/auspicioq; Iouis.
Altera continget tibi nunc lauinia coniux:
Principis ausoniæ quæq; futura parens.
Iam tædas hymenæe paras: iam sacra beatæ
E cælo lætus uirginis ora uides.
Fœlix Laurus eris: longe at fœlicior illa;
Continget niueo quæ tibi Laure sinu:
Fœlix/quæ sancto sese tibi iunget amore:
Et quæ te faciet nupta puella uirum.
Non frondens hedera sic stringitur æsculus: illi
Sicut te dulci stringet amore fides.
Nam dotata tibi ueniet uirtutis honore/
Viribus/ingenio/nobilitate/& ope.
Sanguine scipiadum non se Cornelia iactet:
Non lybicis opibus: nam tua maior erit.
Aurea non rutilis iactet se Aurora quadrigis:
Tygribus/aut serris non Ariadna suis.
Non se munditiis Hebe/Hermioneq; nitore/
Aemonio non se Laodomia uiro/
Non se Penelope seruati iure pudoris/
Non sacra Euadne laude pudicitiæ/
Non se Tyndarides formæ præponat honore:
Ante omnes omni dote ferenda tua est.
Hoc tua me uirtus/hoc spes mea dicere cogit/
Auspicium thalamis: hoc meus optat amor.
Addent cui superi q̃ plurima: sic mea uota/
Sic merita/& mores promeruere tui.

Sic Patruus dete statuit tuus: ille ministrat
Ecclesiæ/& fidei numen & orbis opes.
Ille regit Medica populos pietate: tuetur
Iustitia pacem uiribus imperium.
Et quia magnanimis domuit uirtutibus hostes:
Ex meritis nomen/uimq; Leonis habet.
Ad quem tende citus: namq; annuit: ire iuuabit/
Dum te auidus uotis optat adesse suis.
Quid/nisi plaudentes reditus sperare secundos
Possumus: ipsa parat sorsq;/Venusq; uiam.
Magnificum/& faustum gaudés te Roma uidebit:
Maiorem nobis reddet & hæc titulis.
Audit ut assaraci deductam ab origine gentem:
Sic te/sic Medicum tollet in astra genus.
I fœlix: fœlix redeas: teq; aura sequatur:
Atq; tuum Zephyrus perdominetur iter.
Sint sine nube dies: taceant & chorus/& auster:
Ipse mei ut possis ire/redire memor.

BART. REGVLEVS PRO RE. P. FLOR. AD. LEON. X. PONT. MAX.

Sancte Pater placeat patriæ iam reddere Laur:
Sorte datum fasces hunc tenuisse meos.
Redde precor Laurũ: rogat hoc Florentia supplex
Sub Lauro ciues fulmina nulla timent.
Sola domus queritur: queritur uia lata: per urbem
Quisq; silet: Laurum uel sibi quisq; rogat.
Quid mirum/Lauri reditum si quisq; precatur?
Cum sine sunt Lauro: sunt sine sole/dies.

.E.S.

Templa micant Lauro: Lauro domus alta refulget:
Et Lauro semper limina læta uirent
Ipse triumphator cingit sua tempora Lauro:
Et Lauro uatum tempora sacra micant.
Adde q & Lauro gaudet formosus Apollo:
Et Lauro salubres lustrat in urbe dies.
Redde Pater Laurum: quid gaudia nostra moraris?
Sunt mea/sunt Medica sceptra tenenda manu.
Qd tibi si Laurum/placeat concedere Iulum:
In patriam uel tu Pastor ab urbe ueni.
Florida sum tellus/totum celebrata per orbem:
Stella decet nostrum de tribus una caput.

SEVERI MINER. AD MAG. LAV. SYLVA

Clarior Arne potes/rapidisq superbior undis
Tyrrheni undisonum pelagi prorumpere littus.
Te tua læta magis Florentia suscipit aucta
Iampridem uirtute uirum/superumq fauore.
Maior & auspicio Laurentis facta Secundi.
De quo se magnum profert mihi laudibus æquor
Innumeris: faueas conanti pulcher Apollo:
Incaeptisq meis inspires numine dextro.
Annue tuq tuæ Medices noua gloria gentis
Magnum Laure meis/& dulce furoribus œstrum.
Vnde tamen magnæ sumam primordia laudis?
Non proaui/patrisq tui pia gesta reuoluam:
Qui immortale gerunt fixumq in sydera nomen.
Non ego te teneris cupio deducere ab annis:
Sudandum mihi nempe tuæ sub Flore iuuentæ.
Sed quæ uernantis dicetur gloria formæ:

Cum ſit tot rutilis cæli fulgentior aſtris?
Numen in ore geris / maieſtatemq; uerendam/
Atq; ſerenatæ diuinos frontis honores.
Martis opus/bellumq; ferox regina decore
Victa tuo Hippolyte ſpreuiſſet: grataq; tecum/
Et noua contempta geſſiſſet prælia Zona.
Te te Læda ſuum mallet q̄ Caſtora natum.
Te proprio ſpumoſa Thetis præferret Achilli.
Quid uero alipides dum crinibus ire ſuperbos
Efficis: & ueros emittere naribus ignes:
Præteriiſſe uagas rapidis & curſibus auras?
Non ſic æquoreis domitor Meſapus harenis
Acer agebat equos neptunno aſtante frementes.
Te non æaciden Xantus ſua frena regentem
Optaſſet: dominum mallet te Cyllarus: omnes
Nereidumq; choros pro te contemnet Arion.
Te portare ſuis contempto pegaſus alis
Bellorophonte cupit: ſub te ſudaret & æton
Lætior auroræ flammis/curruq; relicto.
Quid/q; grata tibi turpi non ocia luxu:
Non animis illapſa tuis eſt cæca uoluptas?
Manſuræ accendit famæ te gloria tantum:
Vnde tibi armorum ſtudiis mens ardua ad hæret.
Sed Patruus tua uota potens/diuuſq; periclis
Tot modo diuertit meliora ad iura reſeruans.
Quem non arma decent: frenat/dum legibus orbē:
Late orbis dumq; eſſe cupit ſine ſanguine uictor:
Et dum pace regit tantarum pondera rerum:
Ipſe tibi dulces patriæ commendat habenas:
Teq; docet ſanctos regnandi in ſæcula mores.
Fœlices populi quibus eſt cognomen etruſci:

Ducite securam tanto sub principe uitam.
Cui dedit æqua suum clementia prętore numen:
Quem modo cana fides meritis ascendere cælum/
Et superos æquare facit/ iustiq; potestas.
Quem tolerare docet patientia dura labores:
Consilio præsaga graui prudentia longe
Instruit: atq; modum monstrat/ quo casta regātur/
Temperies: stabilemq; animum constantia firmat.
Quemq; auri non sacra fames/ non pascit honorū
Ambitio: attollit non ulla superbia: rebus
Quæ comes una uiris solet altior ire secundis.
Moribus his equidem solio fortuna superbo
Deiecta/ ante tuos humili sic uoce locuta est/
Laurens mæsta pedes/ lachrymisq; rigantibus ora.
Illa ego terrarum domina/ & regina profundi/
Et tantum fortuna potens/ quæ singula nuper
Instabili ratione rotæ/ seu sorte regebam:
Quæ manibus cælum/ pedibusq; elemēta premebā:
Et quæ certa loco poteram consistere nullo
Ante: hominum manibus ne inuita tenerer auaris:
Quæq; gradu potui mortales tollere ab imo:
Vertere forte animos tristi/ mentesq; superbas:
Me prece sollicita pauper/ diuesq; petebat:
Diuam me reges/ gentesq; urbesq; uocabant:
Et mea purpurei metuebant sceptra tyranni.
Nunc propriis deiecta rotis uoluentibus/ alto
Pellor ab officio: mihi uirtus subripit axem.
Quæ mecum imparibus quondam certare solebat
Viribus: errabat titulis mendicaq; paruis:
Victa prius/ uictrix facta est: & cuncta ministrat.
Vendicat omne mecum sibi ius/ mihi nulla potestas/

Seu parua est:celeres non possum uertere currus:
Ingentem q; totam:postq̃ tua nomina culmen
Aetheris attingunt:stitit axem uiuida uirtus:
Firmatumq; dedit clauis/ne uoluere possim.
Euenit & morum hoc merito mihi diue tuorum.
Sed postq̃ sic fata deum. sic numina poscunt:
Sub pedibus da posse tuis me uiuere tutam.
Talia tu contra.non speres noxia fraudes
Exercere tuas ultro/non crimina posse/
Non odisse bonos/non tollere in astra nocentes
Ulla ui poteris:manibus non sceptra tenebis:
Sed scelerum pœnas patieris dira tuorum.
Sic fatus/stygias illam detrudis ad umbras:
Atq; herebi diris sociandam pestibus addis.
Dignius ut rapidi currus moderuntur habenæ.
Sed dum sic solio socia uirtute recumbis:
Fortunæq; uicem meliori iure gubernas:
Aonides stantes te circum examine denso
Dulcia pulsabant alterno pollice fila:
Carminibusq; tui celebrabant dona triumphi.
O uarum quæ Iouis est proles/studioq; canendi
Maxima/sic fatur.placidæ quæ carmine musæ
Mecum grandisono Laurum super astra locatis:
Sictis quod cælo nullum modo numen habemus
Quod faueat/nostroq; uelit gratum esse labori.
Nanq; suis noster numeris mendicat Apollo:
Contemnitq; lyram contemptus principe ab omni.
Terrenum nobis fas sit iam quærere numen:
Sub quo nostra chelis sonitu grauiore resurgat.
Quis modo ni Laurus/nobis pro numine habẽdus:
Qui quondam nostris paruus reptauit in antris:

Pulchraq; cyrrheis exercuit ocia fyluis!
Annua nos illi ftatuamus fefta/coronas
Daphneas/uiridiq; aras de fronde dicemus.
Foelices erimus:noftrumq; helicona beatum
Cernemus/læta nemus atq; affurgere fronde/
Largius & facrum dulci fluere unda Aganippen.
Dixit: & huic omnes gratæ affenfere forores.
Teq; per aonios fimul hæ duxere receffus.
Detinuere uagis ubi te folatia curis:
Donec nubiferas quæ infpectat defuper alpes:
Floribus ornatum uariis caput extulit Arno:
Et te Florentes gaudens reuocauit ad oras
Arneidum comitata choro Florentia: ridet
Perpetuo dum uere: uirum quia Flore/nurumq;
Vernat: & ingeniis/opibufq;/& nomine Floret.
Auget cunctaq magis tua quæ præfentia: Patrem
Te patriæ poterunt feruati dicere ciues.
Tempora uirtutum per te fæcunda redibunt:
Ingeniis dabit alta uiam tua gloria:fœlix
Per te erit hæc regio/& magnis diis gratior ora.
Per te fudabunt preciofæ hic balfama uenæ:
Per te hic mella fluent: omnes aurataq; plantæ
Per te poma ferent: per te pia figna tuorum
Aurea fæcla Pilæ ducent: te authore refurgent
Nomina maiorum/pulchra & cum pace triumphi.
Per te tufcus ager iamq; itala regna tenebit:
Vicinumq; illi iam feruiet æquor utrunq;.
Viue diu/amplexus accedat regia coniux
Inq; tuos: pulchra & faciat te prole beatum.
Et tua pro meritis nunc fydera fata fecundent:
Seraq; perpetuis addant te numina faftis.

MADALIVS AD MAG. LAV. MED.

IN SEVERI MINERVII

AEGLOGAM

❡ Magnanimum Atriden cælo tollebat Achilles
Versibus: a castris dum procul hostis erat.
Et Laertiades pastor tendebat in urbem/
Exploraturus quicquid in hoste foret.
Quam bene dum bello cessatur/ Laure Seuerus
Carminibus laudes tollit in astra tuas.
Pastoremq; refert tanta sollertia/ & arte:
Vt cythara/ ut calamis/ reddat utrunq; tibi.

SEVERI MINERVII AEGLOGA

QVAE INSCRIBITVR

LAVRVS

❡ Et Laurus syluis/ & Lauri numine syluæ
Gaudent: syluestres liceat percurrere dumos:
Pastorum ꝓ humili præcludere gaudia cantu.
Non superis semper cælum/ & mortalibus urbes
Gratæ: etiam syluas cælestia numina curant.
Sub pastorali Phœbus descendit amictu:
Nec spreuit tenui componere carmen auena.
Vnde tibi æternum nomen peneia Virgo.
Quæ uiridi uatum serpis per tempora fronde:
Quæq; facis tutū nemus hoc/ nemorisq; colonos/

.F.

Et tutos errare greges: nam lydius illis
Pan Medica de gente satus nunc ocia præstat:
Cui numen / nomenq; dedit formosus Apollo.
Vnde mihi Lauri ueniant ad carmina musæ.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Qui calamis / uocumq; ualet discrimine: Pastor
Lætior assurgat mecum: respondeat eccho:
Et nostræ postrema ferat uestigia uocis.
Carmina non lædant crepitantes nostra cicadæ:
Nec querulis ululæ rumpant ululatibus auras.
Dumq; humiles repetit gracilis mea fistula uersus:
Auia responsent nemora / & caua saxa canenti.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Non metuant armenta lupos: colat ocia pastor:
Aurato pictos iunco uariare canistros
Gaudeat / & cerasi de cortice texere Zonas:
Siue leues flaua calamos componere cæra:
Syluestre aut tenui meditetur arundine carmen:
Aut suaues nimphas / & dulces cantet amores:
Seu canat heroas diui Laurentis alumnos.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Aurea cælesti uenerunt ordine sæcla.
Ecce albos menses / & magnos cernimus annos.
Fœlices quiqunq; uident hæc tempora: fœlix
Armenti genus omne satum florentibus annis.
Cui modo sydereo fauor instillatur ab axe.
Perpetuo quia uere uirens est lydia tellus:
Atq; ouibus uernat lætis / ouiumq; magristris.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Terra uenenosis uiridans non pullulat herbis:
Serpillum / atq; apium / ridens & fundit achantum:

Implent irriguas ualles colocasia / anethum
Aerios montes / sterilis satureia saltus.
Et quæ rore madent diuersa hic gramina tellus
Præbet ! non desunt hic pinguia pabula: Lauri
Attamen assyrio pecudes pascentur amomo.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
En nobis uirgulta omnis iam parturit arbor:
Frondentisqꝫ hederæ uirides dat planta corimbos.
Dant arbusta suos ultro frondentia ramos:
Et cythisum / & lentas salices / mollesqꝫ myricas
Cernimus: & pingues grauia ubera ferre capellas.
Sponte sua crebro ad multram cogetur ouile:
Et caua fumabunt niueo multralia lacte.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Nunc lætas terris fruges / nunc poma uidemus
Matura arboreis ramis pendere: legenda
Arbuta nunc / nunc arte satæ certantia plantæ
Mala auro / uel dulce pyrum / uel præcoqua præbēt
Castaneis / sorbis / nucibus / milio / atqꝫ lupino
Quis satur esse nequit pastor / pinguiqꝫ sagina !
Attamen ambrosiæ Laurus uult nectate pasci.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Dant dulces Zephyro uolucres spirante loquelas:
Componūtqꝫ inter frondes / dumetaqꝫ nidos:
Inueniunt passim hos pueri / fætusqꝫ tuentur.
Quæqꝫ modo asparagis / fungis / fragrisqꝫ legendis
Est operosa manus iuuenum: perqꝫ auia tendit:
Intexitqꝫ uagos diuersa fronde galeros:
Siue ornat duris insigna tempora echinnis.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
En celedres auro sutis / pictisqꝫ coturnis

Florentes nimphæ calathis uiolasq; rosasq;
Spargunt: & placidi redolentia munera ueris.
Teq; Hyacinte ferunt / & te Narcisse pharetris.
Hæ quoq; cum niueis uaccinia nigra ligustris /
Puniceoq; croco candentia lilia miscent:
Quæq; aurum referunt: & sunt tua lilia Laure.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Nunc sua pastores exercent ludicra tusci.
Hic saltus agitare cupit: cupit ille palestram:
Alter amat calamos inflare / agitare choreas
Alter: ad hæc læti ueniunt spectacula fauni:
Et socias ducunt driades satyri arte procaces:
Nec non syluani hirsuti / horripiliq; licci:
Cunctaq; montanis accedunt numina ab oris.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ:
Nunc Crotale formosa suas nudare papillas/
Candidulos Donace uelit / & Lepidina lacertos.
Testi'is ipsa sinus niueos / & pectus Iola /
Se totam Galatea suo / nam lactea tota est /
Pastori ostendat: sic se Crisis / atq; Licoris.
Sit mitis posito fastu Lasciua Neera.
Arneidum princeps Lauro sit Flora benigna.
Dicite Laurigeræ noua carmina / dicite Diuæ.
Cõueniãt Corydon/Damon/Meliboeus/Amintas/
Alphesiboeus/Anas/Damoetas/Myrtilus/Alcon/
Monicus/Alphus/Apicius/Ornitus/Astacus/Idas/
Cũ Stymicõe Macrõ/Thyrsis/Mõtanus/Amiclas/
Cum Mopso Terapon/ Lycidas/Syluanus/ Alexis/
Bactracus/& Mirmix/& Tytirus/atq; Palæmon:
Aeternum & Lauri tollant ad sydera nomen.
Claudite Laurigeræ iã carmina/claudite Diuæ.

Hactenus aoniae sylvas cecinisse Sorores
Sit satis: & Lauri faustis lusisse sub annis.
Arcadiae caedant cui tantum numina panis:
Quantum lenta salix alno / saliunca cupressu /
Et quantum ramis ilex pallentis oliuae.
Pastores festis uos hunc celebrate diebus:
Aras huic uiridi statuatis fronde quotannis:
Vestra & odorata fument altaria messe:
Vt uiuat longum ceu serpens/ Laurus in aeuum:
Viuaces superet ceruí / cornicis & annos.
Tu mea/ quae gracili strepuisti fistula cantu /
Quae labris / digitisq; meis non parua uoluptas/
Pendebis sacri mansura in stipite Lauri:
Digna alio pastore coli / quem musa secundet.
Ipse tuos posthac calamos non turpiter ausim
Indocta tractare manu. dum muta manebis
Sola tuo Lauri recolantur nomina sensu.
Dum numeris multo fueris animata canentis
Spiritu ab alterius: Laurum cantare memento.
Inflabunt Zephyri dum te / uel flatibus euri:
Fac Laurum Zephyris / atq; euris carmine notum.
Nam deus ille mihi / gratum tibi numen & ille est.

CAROLVS ALDOBRANDVS LAVRENTIO MEDICI .S.

ERAT Achillis illius homerici Magnifiae Claris. Laurenti Medices/ quo tempore apud Troiam ociosus inani se terram pondere premere dolebat: unicum hoc/atq; iucundissimum studium: ut quæ cæteri interea Duces in bello strenue egissēt: ea ipse carminibus illustraret. Fiebat hoc ex antiqua ueterum religione: qui Palladem bello simul & paci/ & cunctis bonis artibus præfecerūt. Id ipsum tibi Seuerus Mineruius homo (ut scis) nō minus doctus q̄ strenuus/ præstare conatus/ hoc ipso tempore alioqui ociosus ex uariis musarum lucis LAVRETVM congessit. Quod quidem non frondibus aut baccis/ sed multis tuarum laudum præconiis perpetuo uireat: sitq; æternū cum ingenii fideiq; suæ/ tum uero āplitudinis tuæ ac gloriæ posteris monumentum: quod nec Iouis ira/ nec ignes/ nec edax abolere possit uetustas. Quod hominis consiliū ipse admiratus/ inhumanus sim/ & erga musas ingratus: si hac breui epistola & rem/ & hominē tibi minus pro meritis commendauerim. Sūt profecto in opusculo multa admodū lepide conscripta/ pleraq; ingeniose/ nonnulla grauiter/ omnia uere: nec dubito placiturū legentibus: si tuo præsertim auspicio prodibit in publicum. Vale Patrone optime: tuosq; Mineruium & Aldobrandum tui nominis studiosos/ benigno fœlicitatis sinu exceptos fœlix complectere.

SEVERVS MINERVIVS AD EVNDEM

❡ Ardentes crepitu Laurus uelut abdicat ignes:
Vt Iouis irati fulmina nulla timet:
Defendat noſtros ſic tecum Laure labores.
Non poterunt homines: quod nequit ira deum.

Edizione di [Firenze, Bernardo
Zucchetta, 1516?]
Comunicata Dr. Dennis
E. Rhodes della BL

12. X. 96 D.